

D. J.  
SPECIMEN ACADEMICUM,  
DE

# OECONOMIA PATRIÆ

PER  
ACADEMIAS PROMOVENDA,

QVOD,

Suffragante Ampliss. Facult. Philos. in Reg. Acad.  
Aboënsi,

P R A E S I D E

# CAROLO FRID. MENNANDER,

Scient. Nat. PROFESSORE Reg. & Ordin.  
Publico offert

## JOHANNES BORGSTRÖM,

*Borgoa • Nylandus.*

Die IV. Maji, Anni MDCCXLVIII.  
Loco horisqve ante meridiem solitis.

ABOÆ, Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

Konglige Majestäts  
Och  
*Riksens hægtbetrodde Man och Råd,*  
Samt  
**GENERAL GOUVERNEUR i Stor Førsten.**  
dœmmer Finland,  
Hægwälborne Herr Baron  
**GUSTAF FRIED.**  
Von **ROSEN,**  
Nâdigste Herre.



Der Excellence har lange sedan med  
stål och Mannawett teknaadt sina  
hæga förtienster i odædelighetens Å.  
restod


restlod. Af den har ej European endast lerdت kanna Eder Excellences stora person; utan ock de folkstag, som icke aга rett begrep om hielatars frægd, hafwa dñh widgått, att sа fœrtraffeli-  
ga egenkaper kunnat genomtrænga deras mærc-  
ker. Sverige, som ræner salla fructer af Eder Excellences mogna råd, och Finland, som en-  
tid skall wisa, hwad færman det niutit af en  
sа wis styrrel; værda den ikatt, Fœrsynen med Eder Excellence hos os har nedjatt. Den stora etterlyn, Eder Excellence lemnat det all-  
manna, med nit fœr Riksens wælgång, och ker-  
lek fœr wetenskaper; jamte den myndighet, hvor-  
med det hœga hedersrum, hwilcket Eder Excel-  
lence bepryder, ær beledsagadt, aro de kællor,  
hwarifrân wi hænleda vårt fosterlands stigande  
til den bægd, huartil en ej obenægen natur det  
jamma har æmnaat. Wär hog bær åtfœrla en  
sá kraftig drift, och vår ringa færmåga bær up-  
offras til en sа kær plikts fullgærande.

Nâdigste Heree, jag hæntar här ett utkast til  
det bitræde, wåra Lærdoms sæten lemnna inhemska  
busshållning. Så mycket, som ænnets værde fœr-  
mådt mig att nedlägga detta mitt lærofjän fœr  
Eder Excellences fætter; så mycket, ja fast me-  
ra,

ra, har min ringhet affskrekt mig därifrån.  
Men Eder Excellences nåd är min tiflygt, och  
min wælning blir min enskyllan. Himplens Her-  
re tildele Eder Excellence det mått af wæssignel-  
se, som hivar ærlig Svensk tunga från hægden  
utmanar! Då under Eder Excellences höga  
inseende, Hushållning och Lerdom i värärt Land  
skola gera det mœte, som sækert förebådar värärt  
allmännas värämågo och færkofring.

### EDER EXCELLENCE

Underdän oedniukaste tienare,  
Johan Borgström.



## §. I.

**Q**vicunque periodos imperiorum, & literarum fata, ab ultima retro antiquitate evolvit, haud ægre animadvertiset, nexus eadem juncta esse arctissimo. Inveniet enim, non modo regnorum vices rem literariam sèpius subiisse, sed & hujus alteratam faciem plurimas illis induxisse vicissitudines. Scientiæ, ne in deterius vergerent, sed stabili innixa fundamento, ad meliora continuo tenderent, fixam Palladi sedem tribuebant Imperantes, quo, inde, quasi e penu, illa depromerent, quibus vel publica mala averti, vel salutem communem promoveri, videbant. Ab hac principum erga literas indulgentia originem ducent Academiæ, ubi communi consilio, sed divisa opera, literis perficiendis & propagandis insudant Eruditæ. Provehunt, inquam, hæ mularum sedes scientias; cum jugum philosophandi excutiunt, veritatem sectantur, & dogmata vitæ usibus apta elucubrant. Propagantque literas, cum teneros iisdem innutriunt animos. Eruditionis itaque nomine, quo indigne fruebantur omni, hic privantur supersticio & nugæ. Antiquiorum inventa eruunt, stabilunt, supplent, & dum prorsus

A

desi-

deficiunt, nova addunt. Disciplinas, quo plura huma-  
nis usibus apta promittunt, eo solerius evolvunt, nec,  
qvæ primo obtutu commoda non produnt, propositiones contemnunt. Curiosa vero, qvæ plures suppeditant disciplinæ, deliciarum instar adhibent illis, qui  
hæc suæ virtutis incitamenta desiderant; necessariis  
interea sollicitantibus industriam subactiorum ingeniorum. Horum delectus mature fiat, optimaque studiorum ratio tradatur. Ingenia præmiis exalentur, aliisque imitamini sistantur. Illis denique applicentur muneribus eruditæ, qvibus obeundis pares sunt. Hæc, ut  
alia plura silentio transeamus, gnaviter & quantum  
illis licet, observant academiarum Patres, civitatum  
salutem urgentes. Illamque operam non in nudo  
substituisse conamine, luculentis ostendunt testimoniis.  
Ex academiis enim prodire novimus viros sanctioris  
doctrinæ notitia tinctos, qui, aeternæ salutis curam  
inculcantes, sine Numine propitio felicitatem publicam  
vacillare ostendunt. Assurgunt hinc Jurisperiti, qui  
dum vitia coercerent, virtutemque protegunt, quemlibet  
sua & publica officia rite administrare docent. Dimit-  
tunt hæc literarum seminaria Medicos, præclara artis  
peritia imbutos, qui vitæ incolunt atque civium curam  
gerunt. Hinc porro procedunt Politici, eo potius  
regni muneribus præficiendi, cum politices & his-  
toriae principiis adsyeti, ad eadem idonei atque  
instructi accedant. Ut mittamus illos, qui exercitato  
ingenio, & adminiculis scientiarum idoneis fuli ex  
his musarum palæstris discedunt, vel ad alia imperij  
munera, vel ad privatæ œconomiaæ curam animum ap-  
plicaturi; hi enim haud frustrato successu experientiam  
brevi tempore acquisitam in suos & patræ usus  
ex-

exercebunt. Et hae ratione constitutionibus regiis, salutis publicæ curam academiis injungentibus, obtemperatur.

## §. II.

**D**E salute illa publica, cuius mentionem modo fecimus, omne ævum diversè sentiebat. Accommodata nimisrum fuit genio seculi, prout vel armis, vel firmitate foederum, vel variis œconomicis exercitiis, aliisque hujus generis negotiis, inclarescere placuit hominibus. Et ex hoc fere fonte emanarunt differentes eruditorum in eadem re opiniones. Has in prælenti examinare, ut prolixum, ita a scopo nostro alienum. Sufficiat monuisse, quælibet illarum eo melius communi inserviisse saluti, quo propius ad verum publicæ felicitatis axioma accedit. Hoc ipsum, ratione & experientia id urgente, in multitudine civium, & copia eorum, quibus vita commode transigitur, quærimus, accidente proba utriusque dispositione, defectum omnem supplente. Priora illa duo felicitatis communis fundamenta, separata nunquam persistunt, quemadmodum & tertio destituta, ægræ nimis concipi possunt. Frustranea enim augendo numerum civium insumitur opera, nisi illa suppetunt, quibus vitam sustinebunt. Et vitæ subsidia cum tot esse debeant, quæ sunt necessitates, abundantiam incolarum reqvirunt. Nexus præterea huic inserviet Imperantis protectio, ne rumpatur, ejusque directio, ne alterutri parti damno illato, egregia hæc turbetur harmonia. Incolarum ergo multitudinem, rerumque his necessariarum ubertatem, pari studio comparabit salutis publicæ stator. Ulrumque vero œconomiaæ privatae cura large nobis promittit; quippe quæ, inten-

ta terræ, illorumque quæ illa progerminat, culturæ, non potest non requirere multorum laborem, ut etiam pluribus nutrimentum comparet. Quæ, dum per montes ad interiora terræ meat, non modo materialē nervi rerum gerendarum producit, verum etiam mineralia, pretio saepius grandi redimenda, evellit. Materialium porro e tribus naturæ regnis de promtatur nobilitatio, quo usibus mortalium idoneæ reddantur, vasto admodum eget artificum numero. Et denique multi homines occupantur mercium sic confectarum intra patriam & ad exteris oras deductione, qui illas vicissim patriæ suppeditabunt, quarum inopia laborat. Non quidem adversamur, clementiam cœli & fertilitatem soli, nimium quantum hisce efficiendis conducere. At neque unice; quod ostendunt Respublie, quibus hæc privilegia in sortem minime obtigerunt, at tamen œconomia ope, civibus & opibus insigniter acreverunt. Non itaque hujus artis præmia loco cuidam adeo alligata sunt, quin ubique profert, cultores modo illa nanciscatur indefessos. Et licet hoc maxime fateremur, neminem tamen, nisi patriæ ignarum, fugit, Imperium hoc Sviogoticum adeo aptam nostræ arti præbere sedem, ac aliud quodpiam regnum. Si enim consideres auream illam libertatem, quam nobis induxit gratia Numinis & favor regiminis, ærem purum & a noxiis vaporibus immunem, raritatem morborum epidemicorum, animaliumque homini infestorum & abuentiam terræ motuum, copiam materiei, qua exterorum artificia ægre carere posunt, & non ineptum regni ad maria lacus & fluvia situm, ut plura commoda sileamus; invenies, nostram civitatem optimæ cuivis dubiam reddere præminentiam dono-

donorum cum natura concessorum. Neque enim frigora hiemis, nec montium juga, barbaries gentis aliave horrifica, quemquam deterrent, cum haec eadem ipsa sint, quæ incolarum horumque possessionum incremento non parum inserviunt. Hiemes enim non vexant corpora iisdem adversa, sed indurant, eademque robustiora & fœcundiora reddunt. Hieme incolæ locorum a mari distantium proventus terræ artis, que opera ad oras maris devehunt, eadem plurimorum utensilium inde, ut & e silvis, desumendorum vecturam promovente. Atque sic hiemes illa nobis præstant, quæ nec pretiosissimi quidem canales aliis pollicentur. Nives vero agros a tempestatum violentiâ timentur, mireque pinguefaciunt, baccharum uvis præstantiorum progerminationi inserviunt, inque aquas resolutæ varias machinas movent. Montes ignivomos hic nullos novimus, at mineralia, veros illos patriæ nostræ thesauros, producunt. Simplicitas gentis & connata similitudines barbariem redolent, quæ non difficulter ad negotia publico utilia applicari queunt, ubi mutatio nem pristinæ virtuti non patientur induci. Nihil ergo impedit, quin ductu & auspicio Regis augustissimi, studiorum virorum patriæ saluti destinatorum, eadem ad salutem nostram incedamus via, quam ante nos felicissimo ausu triverunt regna plurima, œconomia næmpe studio.

### §. III.

**C**um sic evictum sit, œconomiam potiorem publicæ nostræ felicitatis absolvere partem, & præterea omnia civitatis membra saluti ipsius manus auxilia- trices præbere debeant; constat, Imperantis directio- nem, Magnatum favorem & exempla, Eruditorum in- du-

dustriam & vulgi operam, in hujus artis exercitio co-adunitas esse debere. Quantum singuli huc conferant & conferre debeant, in hoc inquirere nimis prolixum foret, cum nobis propositum sit, illos tantum sequi progressus, quos academiae directe dant huic nostrae arti. Hoc vero dum pro tenuitate ingenii agere conatur, maxime laudabile propositum societatum literarum, recenti imprimis aero conditarum, reticendum nobis non erit, cum eadem scientias & regnorum commoda insigniter promoteant. Et hoc summo jure vindicandum Illustri Academia Regiae Scientiarum, A. no 1739. apud nos institutae, cum oeconomia nostra privata, primis hujus fundatoribus, praeipue curae fuerit. Quod propositum laudabili fervore in actis academiae hujus membra ejus proseqvi novimus. Sed neque hi cognatus a difficultatibus liberi sunt, quas in academis melius tolli existimamus. Novimus enim, exiguum illorum esse numerum, ad quos notitia horum inventorum pertingit, praesertim illi, qui eadem usibus applicate nituntur, perpauci sunt. Si vero eadem in academicis praelectonibus traderentur, melius utique per patriam propagarentur; cum studiosi unquamque huc accedentes, eadem optime in vulgus divulpare possint. Praterea iidem juvenes, praeipue dum fuerint scientiae amore capti, natalis soli oeconomiam docentibus facile exponunt, quas relationes quoad maiorem partem, non sine damno oeconomiae, desiderat societas alius generis literaria. Praxis etiam ipsa in academiis addisci potest ab oeconomiae professore, & sic descriptionibus difficile intelligendis lux affulget. Ut raceamus, quae ex systematica disciplinæ tractatione, & huic studio unice dicata opera, oeconomia accipiet

7

cipiet commoda. Præterea, cum in incrementum œconomiae utilissimum sit, ut habeantur naturæ & artis operum collectiones & repositoria, talisqve collectio multas manus & vegeta corpora requirat, a juventute academica optime illa instituatur. Reliqua possunt publico sumtu parari, &, ut ipsæ academæ, omnium accessui & oculis patere. Hinc ad exemplum regnorum aliorum, sapientissima regia ordinatione, œconomiae professio non modo in Academia Upsaliensi haud pridem constituta fuit, verum etiam eundem regium favorem nostræ Auroraæ Academæ nuper contigisse novimus. Quantum hæc instituta œconomiam patriæ promovebunt, experietur posteritas, cui auspiciatissimos optimi moliminis successus vovemus & pollicemur.

#### §. IV.

**U**tit igitur ad institutum proprius accedamus, variae œconomiae partes explicande erunt, & quid ad illas conferant academæ, tradendum. Evolvemus nimirum Agriculturam, Rem pecuariam, Piscaturam, Venationem, varias agrestes curas, Rem metallicam, Artes manuariae & Commercia; artes nimirum omnes, œconomiam patriæ priyatam constituentes, quas & vulgo noscas supponimus, prolixas eātundem descriptiones omitentes; & ostendemus, quid ex Historia naturali, Physica, Chemia atque Mathesi ad singulas de promendum sit. His enim quatuor scientiis, si observationes addis vulgares, œconomia fulcitur, his sua tribuit incrementa; quemadmodum &, illarum ope promota, vicissim quicquid mutuo sumvit, illis abunde retribuit. Observationum vulgarium mentionem intulimus, cum plurimum hujus artis iusdem adhuc insit. Sunt hæ duplices generis; nonnullæ manifesto experientiam profunda-

fundamento agnoscunt, eas veras & utilissimas esse fatemur, aliarum vero nexus cum hoc nostræ cognitio-  
nis fundamento latet; in scientias vero neutræ adhuc re-  
ceptæ sunt. Juvat autem & has colligere, ut in obscura re-  
harum ductu tamdiu procedere queamus, qvoad illas ad  
liqvidam deducere liceat veritatem, atqve lux major  
aliunde nobis eluceat. Dantur etiam alia disciplinæ qvæ  
in academiis docentur, œconomia non parum inter-  
vientes, sed cum illarum usus mediante œconomia pu-  
blica in privatam deriventur, ad nostrum non perti-  
nent scopum. At cum utilitas qvatuor supra nomina-  
tarum scientiarum, qvalis in œconomia se pandit, sit  
maxime conspicua, illam explicare, & qvicqvad ad e-  
andem pertinet e scientiis conquirere prodebet, qvo  
sic, in scholis academiisqve, captui juvenum melius insi-  
nuari possent; qvi alias, & si consveta nominatas di-  
sciplinas tradendi ratio obvineat, mole scientiarum ob-  
ruti, notitiam œconomiz virilem nunqvat consequen-  
tur.

## §. V.

**A**gricultura ut ars antiquissima, ita & inter œcono-  
mia partes primo loco ponenda est. Sine hac qvem-  
admodum genus humanum non subsisteret, ita & de re-  
liquis nostris operibus actum esset. Per agriculturam  
intelligimus artem, qva vegetabilia hominibus &  
animalibus utilia e sinu terræ elicimus. Complectitur il-  
la Agriculturam stricte sic dictam, Praticulturam, Syl-  
væculturam & Horticulturam. Primo itaque considera-  
bimus usus, qvos academiæ agriculturæ præstant. Plu-  
res certe eos in hac & reliqvis œconomia partibus esse  
novimus, qvam ut hic omnes tradi possint. Sufficit no-  
bis indigitasse; ubi, vel jam experiatur, vel in posterum  
expe-

9

experiri speret academiarum subsidia agricultura. Sic hie  
storiam callens naturalem novit plantarum indolem, & va-  
ria strata terræ examinat, unde colligit, an agro aptus  
fuerit locus vel fecus. Solerti etiam indagine comperit,  
in qvonam terræ genere plantæ late vigeant, & qvomodo  
natura illas progerminet, & sic pro varia indole terræ, va-  
rias adhibet plantas, diversamqve culturam. Neque illum  
latent herbæ, qvibus vel agrum serit, vel qvas, dum va-  
rie præparatae fuerint, ibi dispergit, terramqve his fœcun-  
datam ad latam messem excitat. Agnoscit etiam humos  
diversarum specierum, atqve argillas ex profundo evi-  
scerat, qvas agrorum pinguedini conducere novit. Hinc  
interdum stratum terræ pingvius culto subjectum exara-  
re jubet. Nec lapides minerales, testas sabulumqve e  
maris fundo huic usui inepta esse animadvertis. Innotue-  
runt illi regiones, ubi optimi frumenti copia invenitur;  
hinc eodem agros domi conserit, & ne a pristino statu  
degeneret, cavit. Cujuslibet anni segetem, semini non æ-  
que aptam esse, ex disciplinæ principiis atqve observationi-  
bus deducit; & qvas prius de agro collectas frumenti speci-  
es, nova latio ibidem expostulet, animadvertisit; satoribus  
ergo cautelas præscribit. Arbores sepimento agrorū utiles  
adhibet, qvas, cum specie & habitatione differant, variae  
durabilitatis & consistentiæ esse expertus est. Surcu-  
los & germina tam artificiose plantat, ut sepem ere-  
scentem segeti prætendat, qva arte silvis non parum  
parcit. Arbores eapropter in hunc usum eligit tales,  
qvæ nec succum e terra extrahunt nimium, nec  
foliis deciduis agrorum fertilitati noxam accelerant,  
sed potius pinguedini eorum conducunt. Nec ignorat  
Botanicus herbam, qva arenam mobilem coercet, qvo  
invento non modo pestilentissimum ab agris venenum

avertit, sed & integras regiones habitationi aptas reddit. Frumentum etiam in horreis a corruptione & aliis injuriis conservat. Plures scientiae nostrae in re agraria usus vel ignoramus vel reticemus, eum enumerati satis demonstrent, quid illa huic conferat. Interim Botanicorum Entomologorumque curae commendantes, quo pacto vermes plantaeque segeti plantationibusque infesta arceantur & extirpentur. Prodeat jam Physicus & ostendat, quomodo terram annos feraciorem habilioremque reddit. Illius certe examini referimus, quicquid ex confiniis lacus, fluvii, fontis, paludis atque montis vel extimescendum, vel sperandum veniat agro, pro situ & terrae varietate. Agrum, si fundum habuerit durum & compactum argillosum, sabulo, si vero scaturiginibus obsitum, aliave ex causta nimis humidum, cineribus variisque calcareis emendari, docet Physicus. Seminibus maturis varieque temperatis, prout terra & tempestas comparatae fuerint, utitur naturae indagator; neque interdum consueto fationis tempori adeo stricte inhians. In hoc autem determinando, nimis quantum a praefagiis tempestatum dependemus. Huc, dum omnem per astra perveniendi viam sibi præclusam viderint laniores, meteora observarunt; ut plurium annorum observationes diversis locis institutas nacti, tuitius multo quam antea, phænomena, quæ in nostra atmosphæra contingunt, prædicerent Phylici. Verum cum hæc cognoscere vitam agrestem plurimum intersit, ruricolæ illis sedulo attendant, debitas grates a seris nepotibus certo nacturi, qui usum hujus attentionis experientur insignem. At nec sola posteri-

steritatis eura hoc officium ab agricolis exigit, verum  
 propria illorum utilitas idem etiam urget. Si enim  
 solerter observarent meteora, qvæ antecedunt & se-  
 quuntur sationem, & eodem vel diverso aëre semi-  
 na varie præparata eidem vel pluribus terra specie-  
 bus committerent, paucorum utique annorum expe-  
 rientia serendi horam & optimum semen cognosce-  
 rent. Multa alia experimenta Noster agricultorū insti-  
 tuere docet, qvibus agri, sementis & messis præstan-  
 tia deteguntur. Ut silentio involvamus regulas a Phy-  
 sico suppeditatas, qvas imitamine dignabuntur Agri-  
 cultores. Accedimus ad Chemicum, modum contem-  
 platur, qvo rem agrariam sublevat ille. Occupatur  
 præcipue in compensanda fertilitate, qvam frugi-  
 bus impendebat ager. Novit vero, terram puram  
 subtilissimam & pinguem variaqve salia exoptatam il-  
 lam fœcunditatem terræ conciliare; adeoque non mo-  
 do illis agrum fœcundat, sed & artificia indicat,  
 qvibus eadem materia aëri innatantes inde eliciantur.  
 Hinc non modo diversorum animalium excrementa  
 distinctis locis ponere jubet, sed &, ne quid solis  
 & imbrum actione illis decedat, cavit, eorumqve  
 fermentationis & augmenti curam gerit. Urinam a-  
 nimalium in foveas cespitibus vel alia terra refertas  
 adducit, optimo hoc lœtamidine agros saturans. Loca  
 ruderata perqvirit, paludes lacusqve eviscerat, cor-  
 nua, crines, unges aliaqve abjecta colligit in eosdem  
 usus. Cinere & calce etiam caute utitur Noster. Cum  
 autem sic saginat, ad fundum situmqve agri, ipsasqve in  
 qvibus hæc opera peragenda erit terpestates, atten-  
 dit. Mos frumentum fumo a corruptione servare, ul-

tra Fenniam rarius obtinet; eodem artificio, at lignis putridis, exsiccatum semen, optimum s<sup>e</sup>pe experienti adproperavit commodum. Germina nitro, fimo, cinere, calce & urina imprægnata, a putredine aliave noxa in terra conservari, bene germinare, latamq<sup>ue</sup> dedisse segetem, ostendunt experimenta maximo cum lucro instituta. Justam itaq<sup>ue</sup> misendorum proportionem designat Noster, & ingredientia indoli agri adaptat. Qvasdam sordes comburit, qvo agrorum fertilitati melius inserviant. Mathematicus hunc excipit, & suam agriculturae operam impedit; dum metitur inclinationem terræ vel cultæ vel in posterum colendæ, qvo sic defectus naturæ artis opera suppleatur. Aream agri, notitiam emtori possessorique ejus adeo proficiam, investigat. Varias qvoq<sup>ue</sup> machinas construit, qvibus vel terram perterebrat, qvo ejus strata innotescant, vel agrum proscindit, fossisque circumdat, vel eundem semine per simum disperso conserit, vel denique segetem triturat. Desiderantur adhuc plurima instrumenta, a Mathematicis partim conficienda partim emendanda, qvæ propiori eorum cum agricolis connubio invenienda fore speramus.

### §. VI.

**D**E VOLVIMUR ad pratorum considerationem; monstratur, qvomodo Academiæ in eorum influant culturam. Utilitates, qvæ pratis æq<sup>ue</sup> ac agris ex nostris scientiis accedunt, nos non morantur; cum eadem ex superiori paragrapho notæ supponantur. Sed illa saltē commoda enumerabimus, qvæ prato, matris agri titulum non inepte sustinenti, superaddunt

Aca-

Academiæ. Atque sic Historiæ naturalis usum, ut hic semet exserit, considerabimus. Demonstrat hæc scientia, nullos terræ tractus dari tam aridos, nullosque adeo uliginosos, qvin prata exinde confici possint. Detexit enim Botanicus gramina, in exsiccatis locis late crecentia, qvæ, si ars exigua suppetias ferat, optimum agnorum pabulum suppeditare, expertus novit. Si vero major cultura accelererit, eandem terram cultoris laborem abundantē fœnicio compensare, ericeta Fah-lunensium testantur. Invenit etiam Ille, loca uliginosa graminum utilium non esse inepta habitacula; siqvidem dantur gramina, qvæ hæc adoptarunt domicilia, boum pastui ædificiorumque tegmentis non parum inservientia; qvod paludes Gotlandiæ egregie ostendunt. Si prata nimio ulu vel alio casu sterilia facta fuerint, copiam & bonitatem fœni, satione herbarum utroqve modo utilium, restituere novit in Botanicis versatus. Si vero illa herbas pecori & jumentis noxias alant, eas tollit. Docet etiam, maturitatem herbarum esse exspectandam anteqvam secentur, nisi plantas radicem non habentes perennem, cum magno s̄æpe pratorum damno, extirpare velimus. Cumq; noverit tempus, quo plantæ semel fatæ radix perdurat, annum iterandæ sationis indicat, & qvibus feminibus, qvæque arte prata diversa conseramus, docet. Subitis qvibuslibet mutationibus, licet a pejori ad melius, prata periclitari, expertus est. De cetero utraqve illa, qvæ ab historiæ naturalis perito in præcedenti paragrapho desideravimus artifia, etiam hic exspectamus. Physica opus ab historia naturali inchoatum promovet; cum a muscis & grumis, scabiei

& pustulis assimilandis, prata tueri nititur. Utrisque aratum in hunc ultum paratum medelam praebet praesentissimam. Sed quo impensis parcat, quibus hoc artificium premitur, praelertim dum idem opus saepius erit iterandum; minori interdum molestia, feliciori-que eventu, prata ab his excrementis repurgat Physicus. Dum nempe vel igni ejusmodi loca exponit, vel interdum, vere præcipue & autumno, ab ejusmodi pratis equos & boves excludit. Novimus enim, prata, nominatis anni partibus perquam humida esse, ita ut radices graminum facile extrahantur & nudentur a pecoribus easdem concuscantibus, quo ipso magnam suæ fertilitatis patiuntur jacturam. Loca intermedia elevantur, graminaque, quæ in iis creseunt, putrefacta molem terræ augent, & sic ibidem tuberum quoddam genus producunt, quæ artificio proposito applanari videmus, quod etiam experientia confirmat. Muscorum vero & potissimum Polytrici semina, undique per aërem volitantia, loca pratorum læla occupant, ubi eo magis serpunt, quo diuturnior illis conceditur mora; ita ut tandem gramina circumjecta penitus loco excludant. Hoc autem vere & autumno optime faciunt, vehementiis tempestatum proficientes. Æstu enim solis, vi ventorum & abundantia aquæ musci vigent; grama vero, quorum nudatae radices violentiae caloris, quem circumiacentes musci non parum intendunt, expositæ sunt, & quæ alio tempore ab integratis his hospitibus aqua suffocantur, non possunt non perire. Si itaque haec prata pecorum pastui non adhibentur, neque aliquot annorum spatio falci subjicerentur, tunc certe prioris anni emarcida grama, a violentiis veris

ris & autunni atque fervore aestivo radices suas protegerent, quæ sic revivicerent, muscosque hospitio quo ingrate fruebantur excluderent. Aqvam, vernali tenore inundantem, prata regelare, eademq; a vehementia tempestatiū servare, haud obscure prævidet Physicus, qv: madri odum & aqvam turbulentam, qvicq; pingue secum tulit, pratis illinere, cognovit; si itaque id ferat occasio, eandem pratis inducit. Autumnali vero aqvæ, cum terram abluerat, semina auferat, graminumq; radices concuriat, accessus vetandus est; si commode hoc fieri possit. Non quasvis arbores in pratis eradicat, cum quæ grata umbra gramina refocillant, pratumq; foliis suis fecundant, perire non debeant. An sine detrimento prati, musci, cespites ex nodosis radicibus caricis constantes, herbæ ab aqvis advectæ, aliaq; pratis inutilia, immo & ipse simus in pratis comburi possint, facta exploratione terræ, docet chemicus; qui etiam alia via mala illa tollere, pratumq; fœcundius reddere novit. Neque idem ignorat incommoda, qvibus in diversis regionibus conveta fœni reflectio, collectio & conservatio premitur; optimum ergo circa has modum & ostendit, & observandum esse inculcat. Quomodo instrumenti nivellatorii operationes elevationum explorentur, Mathesis præscribit, ne frustraneum laborem aqvis abducendis impendamus, ubi situs loci hoc vetat.

### S. VII.

**Q**uantum debitæ silvarum culturæ salus patriæ infinitatur, præter hiemes favas, domus, naves variisque utensilia domi exterisque regionibus usurpata, res metallica abunde testatur. Earum itaque conservatio

vatio a S:a R:a M:e inculcata, non exiguum postulavit eruditorum attentionem; qui etiam distincta in hoc punto officia, diversarum ope scientiarum, præstiterunt. Sic quemadmodum silvæ maximam occupationum materiem Botanico suppeditant, ita etiam suarum excursionum vestigia plurima illis impressit. Hæc jam obiter legemus, prolixa infinitorum particularium enumeratione supersedentes. Cum silvæ varias arborum species ferant, indoli cujusque convenienter instituenda erit silvicultura. Si dentur loca, qualia sæpe silvas peragranti obveniunt, arboribus inibi hospitantibus minus propitia, nimium certe præstaret Botanicus, si prioribus eradicatis, verorum hujus terræ alumnorum coloniam hic collocaret. Hoc vero opus difficultatibus obseptum quilibet videt. Sed neque de successu plane desperandum esse existimaverim. Experientia enim popularium edocti, in loca arborum, quibus silvæ exustæ antea constabant, novimus migrasle alias, quæ intra plurimum milliarium spatium non inveniebantur. Rationem singularis hujus phænomeni, cum circumstantias particulares novisse nondum nobis licuerit, ignoramus. Hoc tamen novimus; semina arborum plurimarum, pappis & membranis lateralibus circumvestita, ingentia spatia ventorum ope pervolare. Si itaque plantationem memoratam tentare quis velit, terram paratam habebit, cum maturescunt semina arborum desideratarum; in promtu insuper habebit semina eadem, quibus terram conserat; quo sic feliciorem eventum, a favore ventus, vero sationis tempore, & proprio denique studio sibi promittere queat. Qva anni & mensis parte arbores diversæ indolis cædendæ, & qvo-

quomodo hæc cum optimo lucro peragatur strages, docet observatio Botanici. Ille etiam usibus separatis alias arbores, diversasque earundem partes propinat. Huic sufficiunt folia, illi rami; dum alii integrum truncum, alii insuper radices postulant. Neque Physicus suis lucubrationibus indignam duxit sylviculturam, sed ipsius industriam hujus incrementis non parum contribuisse novimus. Cum puritatem silvarum, earundem augmento, boumque pastui conducere sciat noster, arbores evulsas lignaque & ramos excisos in unum congerere jubet. A fluidorum in vegetabilibus motu, eorundem salutem & interitum pendere solerti examine detexit Physicus, hinc arbores fini suo convenienter tractat, & ad insequentem excisionem præparat. Frigoris & caloris vim in humores arborum præsigit noster, ergo cujuslibet anni arbores ejusdem non esse consistentia, nec singulos menses arboribus cædendis æque aptos esse, concludit. Cum indolem terræ, cui inhærent, plagamque quam respiciunt arbores, notaverit Noster, internam illarum structuram prævidet. Tigna a putredine servat, ne rimas agant curat, & ne ædificiorum habitatoribus noceant, sollicitus est. Chemicus porro arbores, putredine in favillas redactas, hinc inde in sylvis obvias, quas agros nimium saginare novit, duplice in usum colligit. Folia decidua ramosque divullos ob eandem causam conservat. Idem asperes & tigna incombustibilia parat; ne incendiorum ruinæ subjiciantur ædificia. Geodetæ tandem limites silvarum constituunt, earumque aream metiuntur, quo sic quilibet ab injuria aliorum tutus, proprietarum possessionum culturæ eo diligentius in-

cumbar, ut eo majorem voluptatem ex conspectu cultioris terræ in mappa delineatæ, haurire queat.

§. VIII.

**C**um Horticulturam per Academias promovendam jam breviter sistere sit animus, nostrum non est propositum, illos describere hortos, quos mortalium oblectamento sedula ars paravit; neque istos, quibus disciplinæ delicias Botanophilis insinuare co[n]antur Botanici. Sed horum saltem indebet proponimus, qui herbas indispensabilis utilitatis, sed ul[tra] in patria aut non aut ægre nimis nascentes, nobis porrigunt. Hæc horticultura quantum Botanicorum industriae & Zoologorum cautelis debeat, paucis videbimus. Novit Botanicus plantas, quibus moderna indigentia sublevanda erit, nec eum latet clima regionis, ubi sponte crescunt; hinc conjectura, ad quam ramen rarius recurrit post tot nostri seculi experimenta, assequitur, an earum copiam in patria habere liceat, & an fructu labore responde[n]te inde potiatur per sedulam culturam? Modum, quo foetus suos nutrit atque foveat vera plantarum altrix natura, arte imitandum esse ratio jubet, & expertus probat Botanicus. Hunc in finem cœli, soli & tempestatum indebet in remotissimis regionibus æque ac in patria, compertam habebit Historicus noster, ut advenientibus plantarum colonis commoda habitationis loca, justamque curam, in patria designare queat. Quasdam maribus, Iacubus & fluvii immersit, aliæ paludes amant, aliæ oras ripasque occupant. Pluribus camporum collium & montium domicilia attribuit, pauciores aliis plantis imponit, reliquis

quis ad alpes demandatis. Unam in hoc, alteram in illo terræ genere locat. Qvasdam agitationibus ventorum exponit, dum cætæ in tranquillo quiescunt. Calorem & aquam justa proportione debitoque tempore cuilibet confert. Qvo fructificatio plantarum rite fiat, oculations & insertiones accurate peragan- tur &c. verbo : ut cuilibet plantæ ejus naturæ coni- veniens cultura concedatur, sedulo curat Botanicus. Morbos plantarum levi opera cognoscit, qvibus interdum nec difficulter medetur. Ab infectis herbas corrumpen- tibus easdem tuetur, & ab aliis noxis repurgat, ut sic sanæ maneant atqve vegetæ. Fatemur tamen, circa ultimo allata plurima deprehendi, qvæ industria Historici naturalis præstolantur. Hunc excipit Phy- sicus, qui præclara qvævis in arte nostra molitur. Aëris enim vim, fluidorum actionem & caloris gra- dus cum structura interna vegetabilium confert, unde leges ut hortulanis proficias, ita ab illis soler- ter implendas, condit. Ne vernalium tempestatum vi arbores plantæque teneriores, & climatis rigori nondum adsvetæ, emarcidæ fiant, fossa aquis imple- da illas circumdat, fimo & stramento illas vestit, fe- nestris obtegit, eodem opere pinguedinem in sinu terræ retinens. Qvasdam vere, alias autumno plantat arbores, prout terra, arboresque requirunt. Herbas, qvæ vel intensiorem desiderant calorem, vel qvarum fructus citius maturescant, parietibus sive muris me- ridiano soli oppositis reddit propinquiores, ubi re- flexione radiorum solarium obtinet caloris augmen- ta, succumque herbæ viscidum reddit, qui brevi in fructum transibit. Hortulanus physicus arbores, qva-

rum fructus tempestive carpere vult, per ampla spatia disponit, quo maturitatem illorum properet fervor solis. Si autem arbores coaptare velit ad feren-  
dum fruges homini salubres, densiores erunt, ut sensim & sua quasi sponte maturi reddantur earum fructus. Calorem certo simi genere augere, diuque intra terram conservare novit Physicus, quo conatu qvarundam plantarum saluti prospicit, aliarum vero fructus molem ultra modum promovet. Arbores autumni lœvitatis cauta foliorum deerptione adseverat, ne noxiis & nimiis humoribus per folia haustis pereant, eodem quoque opere hiberna ovorum Insectorum hospita destruit. Ramos illarum plurimos, dum recenter translocatae fuerint, amputat, ne transpiratio pro majori arboris superficie major, excedat nutrimentum per radicem concessum, quod in hoc casu exiguum est, dum superficies radicis terram ubique non contingit. Et hæc etiam ratio est, qvare solito abundantior aqua his arboribus affundenda erit. Quantum plantarum & frugum conservationi solertia Physici inserviat, neminem latet, & nisi prolixiores justo suissemus in hujus argumenti pertractione, ostenderem; sicut & multo plura ex scriptis recentiorum naturæ vegetationis indagatorum hue referenda essent, qvæ demonstrarent Chemiæ & Matheleos in horticultura usum.

### §. IX.

**P**Ervenimus itaque ad secundam œconomiaæ privatæ partem, Rem Pecuariam. Artem hanc tanti fecerunt antiquiores, ut non modo delicias vitæ pastoralis omnibus aliis prætulerint, sed & ex multitudine

ne pecorum facultatum suarum rationem intrent. Li-  
cet vero hæc cura inter nostri avi oblectamenta locum  
non invenerit, attamen uno omnes ore necessitatem  
eius fatemur. Hoc certe effatum a nobis exigunt, va-  
ria ciborum genera, quæ animalia domestica nobis sup-  
peditant. Vecturæ, vestimenta aliquæ usus idem re-  
quirunt. Dignam itaque opera eruditorum artem hanc  
esse videmus, præsertim, si attenderimus, ejus cultu-  
ram a perfectionis culmine in patria nostra nimium  
distare. Modum ergo literati pervidebunt, quo ista, quæ  
exterorum pecora hodie nobis dant, debita rei pecu-  
ariæ cura domi habeantur. Hoc autem Historia na-  
turalis solerter agit; dum quicquid vigori pecorum in  
patria obviorum confert, sineere indicat, & si meli-  
ora alibi reperiantur, an & quomodo apud nos alenda  
erunt, investigat. Eruditum nostrum cura indigeno-  
rum pecorum imprimis occupabit. Hæc enim sub no-  
stro climate enutrita domestice malis minus periclitantur.  
Consuetudo illa reddidit minus attenta, ad varias  
caloris frigoris aëris atque pastus constitutiones, neque  
curatore egent nimium curioso. At ne tarditati natu-  
ræ & climatis rigori ea tribuamus, quæ propriæ segni-  
tiae imputanda sunt, circumspicientiam atque studium  
adhibere debemus. Cumque idem pabulum omnibus ani-  
malium speciebus non æque sit utile, nec eadem pascua  
boibus, equis & ovibus sint pariter sana; Botanicus ex-  
pertus est, diversum fœnum & distincta pascua hisce  
animalibus esse præbenda. Clivos collesque ovibus,  
umbrosa & elevata loca boibus, campos equis utiles  
esse monet Noster. Unde etiam unam regionem huic,  
aliove

alteram illi pecorum specie alendæ præstantiorem esse novit. Ne ordinario pabulo deficiente de pecoribus plane actum sic, frondes muscos aliaque caute colligit, probe conservat, & ne nova hæc fercula fastidian, solerter illa condit. Mares in qualibet specie non nisi optimos ruricolis commendat, qui dum sobolem propagant, pecoris genus emendant. Caprarum, suum aliquorumque domitorum animalium obsonia novit noster, quæ colligere docet, & qva arte detrimentis ab his metuendis occurramus, præmonet. Conjugia apum & metamorphoses bombycum observavit Insectorum examiner, hinc priores intra commoda alvearia salvas retinere, & posterioribus loculamenta curamque competentem præbere, edocitus est. Morbos animalium notavit Zoologus, annosque qvibus bene vigent singula, unde nisdem medicamina propinare, eademque justa ætate mactare edocemur. Si vero his studiis scientia nostra rem pecuariam ad illam perfectionem evahere nequeat, qvam salus patriæ desiderat, aliarum regionum pecora defectum compensabunt. Qvænam hæc sit terra, qualis ibidem pecorum cura, & quæ præterea observatione digna sint, illa nobis promittit experientia Zoologi. Physicus & Chemicus, licet multa illorum, qvibus rem pecuariam promovet Historiæ naturalis peritus, eidem suggerant, plurima tamen sibi reservarunt, quæ in nostræ artis emolumenta conferre nituntur. Ab aëris & aquæ puritate quantum dependeat salus animalium, nemo ignorat. Cujus vero de optima illorum qualitate judicio magis innitamus, qvam Physici & Chemici? qui eandem certissimis experimentis in aprico ponunt. Loca stabulis idonea

idonea eligit Physicus, ne ex vaporibus effluviisque morbos contrahant pecora. Si atmosphæra ex diuturna aëris tranquillitate exhalationibus noxiis corrupta fuerit, vel alia similis morbi caussa extiterit, pestilentia a pecore incendio dignorum putridorum & copiosum fumum spargentium, sulphuris aliorumque corporum graveolentium, abigitur; cum horum fumus aërem ad nō otum concitet, animaliumque membra contra insufficientes vapores induret. Cutem pecorum a quisquiliis repurgare debet Oeconomus, qvo eadem melius valeant, nec, dum sordes ex corpore suo lambunt, materiem jaculorum fascinorum absorbeant. Si ad particularia descendenteremus, plures nostrarum scientiarum in re pecuaria usus ostenderemus; ut dum eruditus oeconomus occupatus est in pellendo varios morbos pecudis, easdem saginando, carnemque earum condiendo; vel dentique cum lactem, ceram, pelles, qualam innumeraque alia, qvæ animalia nobis exhibent, colligit, conservat & perficit.

## §. X.

**C**ommoda, qvibus una præ altera gaudet regio, incolas excitabunt, ut hoc privilegium in utsos convertant. Ita cum cives illius imperii simus, ad eius litora & ripas magna piscium copia prostat; utique nihil prius, antiquius nihil nobis erit, si de salute civitatis solliciti dici voluerimus, etiam ut lauta illa cibaria aperiamus, qvæ in mariibus, lacubus & fluviis nostris, locare voluit optima summi Numeris providentia. Indigni enim his prænissimis cendi erimus, si exterorum manu domestica fercula propriis palatibus propinentur. Nec lascivæ notam evitabimus,

evitabimus, si, aliorum opera cibum sibi comparantes, ne pudor quidem, impensa & egestas a desidia sua absterre possint. Sedulam ergo diligentiam huic malo reponamus. Utamur subsidiis, quæ & hic nobis spondent Academæ. Novit enim Ictyologus tempora, quibus diversæ piscium species pludunt, quando profundum relinquunt, ripasque & brevia petunt, ubi frequenter commorantur, & quæ reliquæ eorum fuerint proprietates; tempestates inde & loca denuntiat, quibus piscaturæ litandum, rationem exponit, quæ eadem instituenda, immo & quænam instrumenta inique illis collectamenta adhibenda sint. Propagationem piscium exponit, unde colligimus, an interitum vel raritatem totius speciei in nostris aquis metuamus, si cum matre prægnante multa centena piscium posteritati surripimus; an vero vanus fuerit ille metus, cum hæc præda alio tempore exteris locupletet. Non quaslibet conchas ex fundo maris fluviorumque tollit, nec violentas manus singulis acceptis infert, sed unde gemmam accipiat, prævidet, reliquias futuris usibus destinat. Cum eidem innotuerit, phocas aegre nimis glaciem perforare cujus superficie incident, cumque tempus, quo pariunt, quomodo fœtus suos fovent, aliasque hujus animalis proprietates, noverit, facile illud capimus, hamumque conficiimus, cui escam aptam imponimus, neque idem jaculo transfixum per vastum mare querimus, cum ad locum ubi telo percutiebatur, agonizatus sapius redeat. Cum indolem piscium solerter rimatus fuerit Ictyologus, docet, quos pisces ex aliis locis advectos in nostris lacubus & fluvijs collocare licet, & quomodo id fieri debet; in quanam terra pilcinas fodiemus, quædam

29

eadem arte adornandæ sunt; si pisces ibidem vigebunt speciemque propagabunt; qvinam illi fuerint, qui coactam hanc vitæ rationem tolerant, & quo pacto eisdem initiandi erunt. Physicus, conjuncta cum Chemicæ opera, multa piseatoribus patefacit artificia, in piscatura exercenda. Lacus & piscinas, ita glacie adstrictas, ut aëri transitus vetetur, perforare jubet Physicus. Ille etiam sanitatis, lusus ovorumque aquatilium cura tenetur. Quo pacto pisces sale condiendi, exscandi vel alio modo conservandi sint, perhibent Nostræ, qui varia ex hæ animalium classe sumunt, quibus non medicinam modo, sed & œconomiam, sublevant. Mathematicus navigia ædificat, quæ piscium & locorum indoli coaptat. Piscinas aquam corruptam continentes evacuat, vivamque illis indit. Observatio-nes vulgares, quibus tota fere hæc ars innititur, si ullibi unquam, hic certe colligendæ sunt. Hæ enim collectæ, & iterum veritatibus, quarum farragini ansam suppeditant, stipatae, optimo cum publici lucro per vulgus disseminabuntur.

### §. XI.

**P**rogressimur ad venaturam; artem, ipsorum Magnatum delectationi & heroicis exercitiis destinatam, sed etiam inter œconomiaæ partes multis aliis nominibus referendam. Feras enim & accipitres conficere agrorum atque pecorum cura nobis injungit; quemadmodum & amplissimus priorum, & avium plurimarum in œconomia usus est. Hinc etiam Historia naturalis suarum duxit esse partium, nostræ invigilari arti; quod quomodo præliterit, paucis recensebimus. Proprietates ferarum & avium cum indefesso studio

D

perve-

pervestigaverit Zoologus; tempora apta, & artificia in-doli eiuslibet congrua, indicat, quæ attentionem ve-natorum merentur. Sie voracitas ferarum, cadavera illis exhibere docuit. Cibus, hospitia, aliaqye bestiarum singulatia, differentes capturas instituere postularunt. Avium vernali tempore ingens in venerem æstus facili-tati capturæ illarum inservit. Idem etiam alimen-tum earum, admiratio canis, nivea hospitia, & ista, quibus vel delectantur vel perterrefiunt, ne plura in re notissima cumulemus, præstant. Enutritionem ac educationem ferarum & avium, ab indagatore econo-miæ animalium institutam, utilitatis non contemnen-dæ esse novimus. Idem etiam prædam venatoris in-dustria factam servat, & optimis impendit usibus. Sic cum venena bestiis internecina parat, ista pellibus il-larum innocua reddit. Artificia plurima ostendit, quibus pelles a vermis tuemur, & durabiliores effici-mus. Lanas, setas & plumas colligit, quas & artifici-alibus & domesticis usibus destinat. Venator Geode-sia gnarus eadem, qua silvas lustrat, opera, eas dimeti-tur, mappasqve construit, publico multum, nec sibimet parum, inservituras. Ipse enim videt, aliisque uno in-tuitu conspiciendam præbere potest, regionem ditioni ejus subjacentem, quænam animalia inibi ho-spitentur, qualiaqve instrumenta loco & animalibus convenien-tia ubique adhibeat.

### §. XII.

**P**Ræter quatuor illa in proxime præcedentibus §§:is tradita agrestia studia, sunt adhuc plurima maximæ utilitatis exercitia, circa quæ præcepta Academicorum desiderant Ruricole. Horum aliqua jam breviter con-siderabi-

derabimus, ostensuri, qvomodo s̄epius nominatae scientiae illa promoteant. Ab annonae caritate licet parum timendum sit illi, qvi principiis nostrarum disciplinarum convenienter agrum coluit, si tamen h̄c plaga nobis imponatur, ne consilii inopes simus, consulamus Botanicum, qvi variis mediis huic malo obviam ire satagit. Hic enim herbas vel earum radices, cortices arborum & lichenes solerter colligere & parare docet, ne sanitati detrimentum, sed corpori robur, concilient. Potum etiam idem parat, qvo, vel sitim ab inconveniente hoc cibo excitatam restingvimus vel saluti consulimus. Fructus plurimos Botanicus monstrat, ex qvibus mustum vino parum cedens exprimitus & adornamus. Herbarum in pharmaceopoliis desideratarum collectio, seminumque lana vestitorum decerpitio, lucrosæ sunt rustico. Salices, corylos, filices fuscique colligit, comburit, & cineres clavellatos inde elicit. Physicus & Chemicus multa rusticis dant negotia, qvibus fere otiosi pecuniā comparare, vel alia ratione sibi usui esse queant. Ex seminibus, baccis, pomis, glandibus, resinis, corticibus atque radicibus vegetabilium vinum combustum, terebinthinam aliaque olea, & resinam depuratam, destillare docent nostræ scientiae. Frumentum & aquam examinant, antequam potum inde conficiunt, qvem ab aciditate servant. Picem liquidam & solidam paraturum pluribus docent Nostræ. Qva arte nitrum ex luto, paludibus & fontibus extrahamus, & an utile fuerit, muriam ex aqua marina & fontana cogere, ostendit Chemicus. Mathematicus operam hanc agrestem pluribus promovet. Nam domos firmas & commodas ædificat,

cumque diversos usus illis intendat, supellectilem etiam convenientem singulis comparat. Caminos sumu n facile, at calorem ægre in aërem evehentes, exstruit. Fornacibus figuram, qva sine columnis fulciuntur, dat. Metitur altitudinem descensus aquæ, quo innotescat, qvibus qualibusque machinis movendis sufficiat, & easdem construere docet. Puteos fudit, pontes facit, & siphonis justam altitudinem determinat. Ollam caminumqve tam artificiose condit, ut materiæ coquendæ, ligno & olla plurimum parcat, quo ipso non vini & cerevisiaæ coctoribus modo, sed etiam aliis multis, prodest. Et denique, dum omnigenas machinas, qvibus œconomi utuntur, construct, perficit & inventit, multiplici nomine eos sibi reddit obstrictos.

### S. XIII.

**O**rdine jam excipit res metallica, cuius utilitatem Regnum Sviogothicum a multis retro seculis percepit. Hujus artis exercitium nobis injungunt tot mineralium genera domi obvia, qvot in alia regione reperire non licet; singularis quoque plurim præstantia & abundantia, qvæ eadem exteris oris desideratissima redundunt. Qvibus si addas, hæc ipsa unicum fere id esse, quo hactenus solvimus merces ab exteris locis advenetas, necessitas artis facile patet. Quantum vero rei metallicæ perfectioni contulerint literæ, præsentis metallurgiæ facies, cum antiquiori collata, ad oculum ostendit. Hodie enim solertia artis illa compensare nititur, qvæ quasi ultro natura protulit olim. At licet res metallica hodierna eruditorum opera eo deducta sit, ut non modo antiquam metallurgiam, sed & reliquias œconomiaæ partes in patria multis parasangis exsuperet,

exsuperet, non tamen adeo perfecta censenda erit, ut auxiliis scientiarum, partim ad conservationem, partim ad perfectionem ulteriorem, amplius non egeat. Si enim vel mineralium indagationem, vel e montibus terra & aqua eviscerationem, vel debitam præparatiōnem intuearis, varia in singulis artificiis desiderata, multas posteris relinquentes spes, multas allectationes nostrarum deprehendes scientiarum. Si itaque saluti patriæ inventione minerarum aliqvid conferre velimus, ab Historiæ naturalis perito ediscemus, cum ipsa mineralia, qualia sensibus nostris, dum finui terræ inhærent, se exhibent, tum matricem & viciniam lapidum, quos diligunt. Docet enim Mineralogus, ex gravitate, colore, figura, odore & gustu, notis, communem quidem sensum affidentibus, quæ diuturna tamē assuetudine longoq[ue] trutinio familiares reddendæ sunt, explorare mineralia. Ne vero illa conspectui nostro se subducant, montium, terrarum & aquarum contemplatio, eadem proprius rimandi ansam dabit. Accuratori deinceps institutæ indagationi, si minerale nativum se prodit, divitem nobis promittimus mineram; hoc vero cum rarius contingat, aliis incedit vestigiis Naturalis historicus, quæ etiam huic tendunt. Sic colores lapidum plurima detegunt metalla. Omnes in igne permanentes lapides, & non pauci illorum, qui ignis violentiam non ferunt, mineralium confinia amant. Ex abundantia, situ aliisque affectionibus probatorum mineralis inditorum, ad qualitatem mineræ concludit. Campos & leviter acclivia loca petris, paludibus & clivis præstare novit. Venæ, ab occidente ad orientem, & ab austro ad septentrionem protensa, sunt feriores illis,

illis, qvæ easdem plegas inverse interjacent. Lapidum species plurimas ostendit mineralogus, non Metallurgorum officinis modo, verum etiam œconomis utilissimas. Physicus faciliorem & tutiorem reddit operam indagatoris mineralium; dum illum diutius inhærere jubet explorationi locorum, qvæ vegetabilia vel ægre producunt, vel eadem rarius crescentia, singulari structura & colore prædita, inqve ordinem quasi digesta ferunt. Dum ignibus fatuis, roris, pruinæ & nivis quantitatib[us], aliisque meteoris ab exhalatione subterraneorum productis, attendit, & instrumenta quædam mineralium præsentiam monstrantia adhibet. Et denique, cum ex lapidibus minerale qvid prodentibus hinc inde circumjectus, ad ipsam mineram viam monstrat. Chemicus lapides mineralis suspectos igne explorat, ut certior fiat, qvod & quale minerale, quantaque illud copia contineant. Processum in docimastica lapidis mineralis examinatione observatum metallifloribus imitandum exhibet. Docet porro, an lignorum combustionē, an vero cunei vel pulveris pyrii vi, lapides e monte sejungere melius sit. Cum minerale a saxo secernit, utriusque indoli intentus est. Prævidet quoque, quemnam processum in quolibet casu illum adhibere & instituere oporteat. Ut taceamus varia artificia, quibus fluxum metallorum facilitat, furnum, cupellas, folles, aliaq[ue] instrumenta conficit; plurimasque cautelas, quibus mineralia variis generis in uno saxe obvia, conservat, rapacitatem quorundam mineralium cohibet, &c. Mathematicus fodinis conciliat figuram, nullis vel paucis fulcris indigentem. Ab aqua alluente illas evacuat. Aëris corrupti ex sub-

ex subterraneis cavernis emergentis præsentiam tempesti-  
ve comperit, & illum inde deducit. Furnorum folli-  
umque figuras delineat, machinasque innumeratas ex-  
ecogitat.

### §. XIV.

**C**um itaque, præfatis studiis, plurimis naturæ the-  
sauris potiti fuerint mortales; ulteriorem indu-  
striam illorum perfectioni adhibebunt, quo usibus,  
qvos & indigentia ponit, & opportunitas reqvirit, &  
luxus singit, apti evadant. Artes hinc variaqve arti-  
ficia provenerunt, qvæ tantum salutis publicæ emolu-  
mento conducere, quantum ditissimæ auri & argenti  
fodinæ eidem non conferre possunt, historia teste novi-  
mus. Qvo vero patescat, qva ratione literæ evehant  
artes, illarum considerationi paululum immorabitur.  
Artes temporis filias esse novimus, in principio rudes,  
progressu mancas, & in præsenti, aspectu licet pulcas,  
plerasque tamen multis nœvis scatentes. Necessitas  
aliqa inventa ab earundem cultoribus exegit, qvæ  
consuetudo tam sancte conservavit, ut vel parumper  
ab illis recedere, seqvioris ætatis demissi ingenii homines  
religioni sibi duxerint. Si vero ingenia in singulis illa-  
rum excelsiora aliquid magni in illarum emendatione  
præstiterint, necessario apparatu instructa fuere; il-  
lorum vero, qvi hoc destituebantur in easum ceci-  
derunt tentamina. Artium itaque promotores propria  
experientia scientiarum necessitatem in artibus inven-  
ta, qvæ & societas artificiales, Principum auctorita-  
te stabilitæ, & Eruditæ, quoties ad artes descendere  
illis libuerit, detexerunt. Neqve literatus operam  
hanc

se indignam existinet, plurimas enim hiec deprehensas veritates, rudioribus quidem, sed indubius experimentis probatas, quae fœcundis dogmatibus scientias augebunt. Hinc sororum artium & literarum ab eruditis tantopere inculeatum vinculum, scientiarum pomœria dilataturum, & artibus illud culmen conciliaturum fore speramus, quod tandem artes, quæ in scientias recipiuntur, dignas reddet. Ut vero Academiarum in artes merita pandantur, quid scientiæ nostræ hic præstare pollicentur, considerabimus. Cum naturalia, in patria inventa, primum perficere ratio jubeat, historicus modo jam in superioribus exposito eadem artificibus compare, & si in officiis adhiberi solita domi reperi non lieuerit, quæ in illorum locum substituant artifices, succedanea ostendit. Sed si conamina in ventos abitura fore præviderit noster, quibus materiam, arte poliendam, indigenam reddere conamur, regionem indicat, unde præstantissimam & uberrimam hujus copiam domum adserre licet. Varia observatu digna circa elaborationem naturalium artificibus exponit noster. Physicam intueamur, & quid illa hoc conferat, perpendamus. Integras artes percurrere deberemus, singulaque in qualibet evolvere articia, si, quid de nostræ scientiæ cum artibus nexu statuendum sit, plene effari possemus. At sufficiat illum digito saltem monstrasse. Artifices tractant corpora, eorumque affectiones varias, diversa articia exercendo, monstrant. Elementorum ergo & motus doctrina, in physica explicata, utilissima est artifici, sine qua nec corporum compositionem, neque mutationes illis inductas, intelligit.

telligit. Gravitatis, attractionis, elasticitatis, frictionis & evaporationis notitiam exploratam habebit idem. Experimentis circa singulas institutis imprimis attendat. Neque varia sua artificia Physici trutinio subjicere negligat. Dum vero de usu Physices in artificiis hæc differimus, non possumus non perstringere defectum, in doctrina physica maxime conspicuum, quem industria Physici supplebit, si dogmata scientiæ ad artes feliciter applicabuntur. Nimirum, in abstracta & transcendentali corporum consideratione solet subsistere physica, ita ut, expositis eorum attributis & proprietatibus generalioribus, non ultra eat. Hinc proprietates corporum, ut in scientia physica expnuntur, in singulari corpore nunquam solæ obtinent, sed præter plures quas possidet generales corporum affectiones, proprietatibus individualibus immersum est. Solent quidem physici proprietates corporum etiam conjunctim considerare, ratiocinique experimentis, fidelissimis illis naturæ exploratoribus, confirmare. At nec sic quidem artibus fecere satis. Parcius enim singulares ne dicam specialissimas examinarunt corporum affectiones, sine quo tamen examine, ratiocinia physica inter & artes connubium desideratum sperare non licet. Non negamus, quædam specimina, in actis præcipue societatum literiarum, proflare, quæ physicæ œconomicæ propositiones tradunt. At paucitas illorum, cum ingenti numero, quem expectamus, collata, hoc doctrinæ genus inter desiderata referendum esse inculcat. Eadem de Chemiæ in hac œconomia parte usu dicenda sunt, quæ de Physicæ modo adduximus. Quædam enim utilitatis sunt li-

qvefactionis, fermentationis, & putrefactionis doctrinæ a Chemicis indagata? Destillationis, calcinationis, præcipitationis, aliaque solutionis capita, fertilia artificibus dant principia. Explorationes variorum naturallium eorumque combinationes, & infinita alia artificia chemica, maxima in opificiis spondent commoda. E matthesi nec minora artibus sperare licet auxilia. Numerorum enim variæ affectiones, figurarum miræ in doles, machinarum simplicium & compositarum constructiones, centrorum gravitatis, magnitudinis & oscillationis investigationes, frictionum leges, fluidorum impetus, aëris proprietates, luminis affectiones, siderumque motus, sunt in artificiis dogmata maximi momenti. Analysis vero viam monstrat, qvomodo veritates has ad vitam communem applicare licet, cum in confesso sit, analysin præsertim infinitorum latum aperuisse ostium, per qvod matthesi non modo ad Physicam, sed & ad oœconomiam, patet aditus.

### §. XV.

**P**Ervenimus denique ad ultimam oœconomiae privatae partem, Commercia; & ostendemus, qvomodo eorum progressus ab Academiis dependeant. Si ex historia argumenta promere liceret, facile evincerem, hoc oœconomicum studium non modo cum literis in qualibet civitate accrevisse, verum etiam illius negligetum fuisse barbariei induvsum comitem. At quo pateat, qvænam acceperint e literis commercia & adhuc sperare queant incrementa, procedat Historiæ Naturalis peritus, suaqve in illis munia monstret. Reddit hic mercatorem a fraudibus tutum, cum notas exponit,

exponit, qvib⁹ optimam materiam a spuria distingvit, qvæ notitia & mercatori lucrosa & artificiis est proficia. Ligna fabricatoribus navium desiderata, naviumq⁹ partibus accomodata, eligit noster, qvæ a verribus tuetur, & naves ab aquatilibus infectis, in quibusdam aquis illas corruptentibus, protegit. Physicus si solum magnetem commerciorum usui devovisset, maxima certe & nunquam satis laudanda illis contulisset. At cum aberrationes in pyxide detexerit varias, illas legibus subjicere nititur. Si accuratorum experimentorum sufficientem copiam nactus fuerit, & sic frena indomito huic corpori imponere potuerit, operæ his observationibus impensa nunquam illum p̄eniteret. Notitia ventorum, in variis orbis partibus statis anni temporibus spirantium, navigantibus necessaria est, ut speciæ aliquores uis physice in commerciis siccō, qvod ajuunt, pede transeamus. Mathematici dignissimam duxerunt mercaturam, qvæ studia & industriam suam exerceceret. Tradunt enim illi regulas maximi momenti, qvib⁹ naviū fabricatores, instructores & oneratores obtemperabunt. Nauclerum docent, qvomodo naufragia evitet, & certus fiat de loco, quem in vasto occupat mari. Hinc mappas hydrographicās delinearunt mathematici, qvib⁹ scopulorum situs innescat; mensuramq⁹ itineris a loco qvodam confecti exhibent, qvæ, si accurate determinabitur, latitudo & longitudo loci exploratæ esse debent. Priorem accurate cognoscit mathematicus. Posterioris autem indagatio magis torsit ingenium illius. At licet solutionem hujus problematis aptam nemo adhuc dede-  
rit, omnis tamen spes ad illam pervenienti e Mathe-  
si

thesi affulget. qvicqvid enim vel in horologiis, vel tubis, vel certo qvodam cœlesti phænomeno desideratur, id spondet industria excellentis ejusdam Mathematici, præmio dudum inventori proposito extimulati.

§. XVI.

**H**Æc fuere illa c. l. qvæ in amplissimo argumento non dicere sed indigitare volui. Plura quidem ea esse, qvæ dicenda forent, ipse novi, sed voluminum materiem non capit dissertatio. Omissi forte etiam sunt evidenter scientiarum usus, sed ex innumeris alia eligenti aliaque rejicienti error facile subrepit animo pluribus intento. Interim tamen hanc qvalemcunque operam ansam suppeditare speraverim de systematica œconomia privatæ tractatione saniora qvævis cogitandi. Si Deus ita fata nostra dirigit, ut qvæ hic indicata saltem sunt, alio tempore distinctius evoluta procedere queant, lubenter desiderio nostro in §. IV. significato satisfaciemus. Interea fave hisce conatibus, l. b. levemque & benignum te præsta interpretem.

